# P. ROGERII JOSEPHI
## BOSCOVICHII S. J.
INTER ARCADES NUMENII ANIGRÆI

# ECLOGA

Recitata in publico Arcadum confessu

PRIMO LUDORUM OLYMPICORUM DIE

*QVO DIE*

MICH. JOSEPH MOREIUS GENERALIS ARCADIÆ CUSTOS

*Illustrium Poetarum Arcadum effigies formandas*

JACULORUM LUDO SUBSTITUERAT.

ROMÆ MDCCLIII.
Ex Typographia Generosi Salomonj,
in Foro Sancti Ignatii.

*SUPERIORUM FACULTATE.*

# LYCIDAS, TYTIRUS.

*Lyc.* TYtire, fifte gradum, Lycidas vocat: o mihi fylvam,
Tytire, jamdudum fruftra quæfite per omnem.
*Tyt.* Tune etiam huc, Lycida? nec te tam longa viarum
Tædia, nec genitrix tenuit dulciffima, nec te
Parva foror, nec folæ, ingens tua cura, capellæ;
Quæ nunc heu nullo fylvam cuftode per altam
Opportuna lupis jam præda voracibus errant.
*Lyc.* Solus ego, Arcadiæ extremis e finibus omnis
Ad facrum dum turba nemus volat agmine denfo,
Namque imo ciet inclamans (1) Myrhæus ab antro,
Tytire, folus, iners patria fub rupe manerem?
Non ita prærupti genitum fub vertice montis,
Heu puero, heu nimium raptus cito! durus Amyntas
Erudiit, dumofa manu per culmina raptans
Figentem dubia incerto veftigia greffu;
Dum pavidos telo damas, cervofque fugaces,
Aut aprum, aut fummis agitaret montibus urfum,
Non æftus, medio quamvis Sol ardeat Axe,
Affuetum, non hofce pedes via longa fatigat.



(1) Myrhæus enim, nimirum doctiffimus Abbas Michael Jofeph Morejus, nunc eft tertius Generalis Arcadiæ Cuftos.

Impulit ipſa avidum genitrix quoque : perge : tuendam ,
O Lycida , mihi linque domum : ſat adulta capellas ,
Inquit , aget ſoror ad fontem , atque ad paſcua tuta .
I tu, namque potes, juvenum quo confluit omnis
Turba frequens , longoſque novans (1) deſueta per annos
Feſta agitat , variiſque exercet corpora ludis .
I, Lycida , & memori ſub pectore ſingula conde
Obſervans, narrabis enim,quoque ordine, quique
Certarint juvenes , cui ſors arriſerit , & quæ
Quiſque domum tulerit meritæ data præmia palmæ .

*Tyt.* Scilicet hinc, Lycida, & jaculis oneratus acutis
Circumfers arcumque humero , pharetramque ſonantem ,
Jamque animo annoſæ defixa in vertice pinus
Signa petis , palma geſtis jam victor adepta .

*Lyc.* Haud equidem abnuerim ; ſtimulos namque ipſa volenti
Addidit , & palmæ genitrix incendit amore .
Sume , inquit , nam prima dies , ſi rite vetuſti
Servantur mores , jaculo , volucrique ſagittæ
Debita , ſume , puer , jaculum , volucremque ſagittam ,
Arcumque, pharetramque olim victoris Amyntæ.
O ! mihi ſi tantum tribuant bona numina, ſi te
Excipiam merita nectentem tempora lauro ,
Felix , ah nimium ! & figentem ditia tecto
Dona rudi ; quo , care puer , quo brachia nexu
Adſtringens collo hærerem ! quæ dulcia fronti
Oſcu-

(1) Nam ludorom olympicorum celebratio per hoſce poſtremos 27. annos penitus inter Arcades intermiſſa .

Oſcula mille darem ! propera , puer , otia rumpe
Pigra celer,ſacrumque vola pharetratus ad antrū:
Hæc genitrix:imas agitat mihi flamma medullas,
Et jubet alipedes curſu prævertere ventos .
En ad ſum : tu Myrhæo , tu Tytire, ſiſte:
En adſum, & jaculo certare paratus , & arcu .
*Tyt.* Ante tamen , quam te jaculo certare paratum
Myrhæo, Lycida , ſiſtas ; ſpectare juvabit
Et ſedem ,& tanti ſocios certaminis , atque
Jura tibi nondum bene cognita : concidet omnis
Fors & amor pugnæ , & palmæ ſpes irrita cedet.
Ad lævam converte gradus , qua conſita denſis
Ordinibus viridi ſe pandit plurima fronde ,
Vernanteſque comas attollit in aera laurus .
Illa ſacri ſedes certam minis. *Lyc.* Haud moror.
At quæ ,
Tytire , quæ rerum facies nova ? pendula ramis
Omnibus ora virum ſeu ſculpto extantia buxo ,
Sive coloratis fulgent depicta tabellis .
Paſtorale pedum , & ſeptem compacta cicutis
Fiſtula cuique ſua,ac circum cava tempora laurus
Adſtat , at innumeris variantur cætera ſignis .
Quid juvenum manus illa ſtruit ? ſulcatur acuti
Huic acie teli ſumma cerata papyrus :
Hic ebore , hic viridi varias in cortice formas ,
Alter in æquali pronus deſignat arena .
Ille autem & ſetas jaculo præfixit acuto ,
Et chonchis fucos infudit levibus , atque
Commiſcet , verſatque agitans, telamque colorat.
En alius parium ferrata cuſpide marmor,
Flavum alius buxi ramum, teretiſque cupreſſi ,
Truncum alius telo formans tunditque, ſecatque.
Quæ ſubiit nova cura animos? quæ forma colendi
Arcadici nemoris ? veterum quo jura parentum ,
Servati & longos mores abiere per annos ?
*Tyt.* Dj dederunt meliora boni . Myrhæus avitos,

 O Ly-

O Lycida, mores mitescere jussit, agresti (1)
Arcadiæ ingenuas & providus intulit artes.
Sic & qui steterat succis oleaster amaris
Improbus, & foliis alte pungentibus asper,
Idem jam pinguis frondes emittit olivæ,
Ac dulces bacchas mitissima Palladis arbor
Educat, & spinis qui quondam horrebat acutis,
Incisus ferro truncus mansuescit amico,
Educitque novas frondes, & cerea pruna.
Non jaculo, non ille vetat certare sagitta.
At teretis calami, meliorem & cuspidis usum
Extudit æratæ, quo non oculusque, manusque
Se tantum, ast una & mentis vigor, atque feracis
Ingenii dives pariter se copia prodat.
Fas, ait, egregias animas, quæ carmine culto
Hoc decus, & famam solida virtute perennem
Arcadico peperere solo, quos extulit ipse
Hinc pater ætherei stellatum ad culmen Olympi
Avectos curru Phæbus, cœloque locavit;
Fas merito, o pueri, memores celebremus honore:
Fas oculis redeant rapti licet, altaque ad imas
Atque iterum, atque iterum mentes exempla recurrant.
Ite ergo, & notos jaculis effingite vultus.
Siquis amat duro extantes educere saxo;
Præfringat calamum, pro scalpro ferrea teli
Cuspis erit: buxus si mollior, atque cupressus
Arridet magis; oblonga disjungere fibras,
Atque secare acie, & poterit perradere sectas.
Cerata in tabula, viridive in cortice si quis
Maluerit tenui formas incidere sulco;
Ille stylo tenuem, qua cuspis acuta, sagittam
Substituat, tractetque agilis. Demum ora colore
Qui

(1) Mutavit nimirum ludorum olympicorum genus, & jaculis substituit illustrium Arcadum, qui jam objerint, effigies.

Qui vario, & cultum mentiri malit agrestem,
Is, calamo qua pluma levis defigier imo
Assolet, & tremulo zephyros agitare susurro;
Aut apri setas, aut crinem adstringat equinum:
His poterit mixtos per telam ducere fucos.
Fistula, pastorale pedum, & Parnassia laurus
Prodant Arcadicos insignia nota colonos.
At variis, quæ cuique petit laus debita, signis
Et decora, & mores, & grandia facta notentur.
Hæc animo sibi quisque suo confingat, & omnes
Exerat ingenii vires, mentisque vigorem
Extundens: tum deinde oculos, tum deinde labori
Adjungat dextram: Arcadicis hæc cura colonis
Digna magis, longe & jaculorum dignior usus;
Hæc nostros meliora decent certamina ludos.
Præmia digna dabo victoribus. Alphesibæi (1)
Illa manu primum quæ consita laurus in auras
Intonsum aerias tollit caput, illa virentes,
Ipse ego sublimi quas carpam in vertice frondes,
Victuro æternos serto præbebit in annos.
Præterea aut pario sculptam de marmore, sive,
Ut libet, in tabula pictam, tenuive papyro
Ipse suam lauro effigiem suspendet eadem
Affigens tantæ signum memorabile palmæ.
Vix ea Myrhæus: pastorum effunditur ingens
Per sylvam, atque novum molitur turba laborem.
Ergo vides, jam fervet opus. Conjungier illis
Tu quoque vis, Lycida, & jaculo, & certare sagitta?

*Lyc.* Haud equidem tantum tribuo mihi, Tytire, dextra
Si jaculum vibrare gravi, si tendere nervos
Cornibus adductis, arcuque sonante sagittam
Mittere opus; certarem equidem; nec me Jovis ales,

A 4 Nec

(1) Primi nimirum Arcadiæ Custodis Jo: Marii Crescimbeni.

Nec pernix fugiat cervus, quamquam ille volatu,
Hic celeri ventos vincat pede. Figat in imo
Se telum corde, & rapiat cum ſanguine vitam.
At quoniam certare nefas, age, Tytire, pande
Singula, noſti etenim, qui ſe in certamina tanta
Hi dederunt juvenes, quorum hæc aut pendula ramis
Ora, vel artifici nondum perfecta labore
Paſtorum in manibus tuimur, quid & addita cuique
Signa notant, mille arcanis variata figuris.

*Tyt.* Ah! Lycida, ah demens! quid enim petis? ante jugales
Circumagat totum Phœbe variata per orbem
Ore tumens iterum, atque iterum nova cornua ſumens
Quam liceat tantam verſando evolvere molem.
Pauca modo expediam, nam me quoque concitat idem
Palmæ amor, & mea ſunt, lauro pendentia ab illa
Quæ perfecta vides; ſed perficienda ſuperſunt
Quædam, alia, & longum poſcunt abrupta laborem.
Ille, vides? noſtris Myrhæo in cœtibus ille
Aſſidet uſque comes, curaſque exercet eaſdem
Immortale Achamas (1) nomen. Jam fixit in alto
Alnanum, ac Lerimum ramo, vultumque Aretalgi,
Quartum format adhuc fingens, & totus in illo eſt.

*Lyci*

(1) Joſeph Brogius Arcadiæ Procuſtos, qui 4. Summorum Pontificum effigies proponit, Alnani, ſive Clementis XI., Aretalgi, ſive Innocentii XIII., Lerimi, ſive Clementis XII., & Theophili, ſive Benedicti XIII., qui metri gratia, ob primam brevem hic nequaquam nominatur. Horum Pontificum ſtemmata nemo non novit, ea hic innuntur.

*Lyc.* Novi equidem: quis enim non nosceret? Extulit illos
Eductos campis silvestribus, extulit ingens
Divini æternum virtus ad culmen honoris,
Atque suos curare greges, quacumque vagentur,
Relligio dedit, & totum imperitare per Orbem.
Agnosco triplici fulgentia tempora serto,
Alnani & montes ternos, & montibus astrum
Impositum: triplex Lerimi se fascia prodit
Per medium secta, & gemino variata colore,
Quamque Aretalgus habet, spatiis distincta quadratis
Ultro se prodit Jovis ales: Squammeus anguis,
Et rosa, & Ursinam signat quæ fascia gentem,
Nota sat & nostris in montibus: omnia nota
Tantorum decora heroum, & tot grandia facta.
Qui tamen hi, tela(1) juvenis quos jungit in una,
Pastores terni? Sacro distincta galero
Frons rubet, & vasta perarata volumina mole
Hinc atque hinc cumulata jacent. Proh quanta senili
Ore sedet pietas! qui pectore promicat ignis?
*Tyt.* O decus, o Latii numquam peritura senatus
Gloria! Vi raptos Alnanus paupere tecto
Extulit hos, *Lycida*, simul, atque effulgere sacro
Ob-

(1) Tres hic exprimuntur sanctissimi, & doctissimi viri, quos diu reluctantes e Cœnobio ad purpuram vi pertraxit eodem omnes die Clemens XI. Sunt autem Alcidamus, sive Joseph Maria Tommasius, Filotheus, sive Jo: Baptista Ptolomæus, Aretimus, sive Franciscus Maria Casinius, primus e Theatinorum familia, secundus e Soc. Jesu, tertius ex Ordine Cappuccinorum, omnes editis operibus, & pietate celeberrimi. Eorum effigies proponit Riviscus, sive Antonius Gasparrius. Porro Aretimum, & Filotheum a versu excludit metrum. Ille autem nomen habet ab ἀρετῆ *virtus*, hic a φιλέω, & Θεὸς, *amo*, *&* *Deus*.

Obſtantes longum necquidquam juſſit in oſtro.
Alcidamum hunc dicunt, huic nomen maſcula virtus,
Huic divinus amor merito dedit: exhibet illos
Riviſcus, doteſque animi, doctoſque labores
Exprimit, ac telam o quanta levis arte colorat!
Benacum (1) Euraſius, Thyrſimque, & format Alaurum.
Ollis Phœbus adeſt, promptamque in carmina venam
Sufficit, & ſubitos dat mille effundere verſus.
Ipſa ſua, qua ſe Capitoli immobile ſaxum
Erigit, ipſa manu frontem præcingit Alauri
Roma potens: plauſus ſeptem de Collibus Echo
Congeminat, fluvioque fremit Tyberinus ab alto.
Navimbus (2), viden? Uranium, Polybumque Siſimber
Sculpit, hic Eurindi vultum exprimit, ille Amaranthi.
Sed quid ego longinqua ſequor, propiora relinquo?
Huc geminas, huc flecte acies, hanc aſpice telam,
Qua

(1) Hic enunciantur Benacus, ſive Julius Cæſar Grazzinus, Thyrſis, ſive Jo: Baptiſta Zappius, & Alaurus, ſive Bernardinus Perfettius, verſibus ex improviſo recitatis celebres, quorum poſtremus in Capitolio ſolemni pompa, & rariſſimo exemplo coronatus eſt. Eorum, & aliorum extemporalium poetarum effigies proponit Euraſius, ſive Petrus Franciſcus Verſarius.

(2) Innuuntur jam alii nonnulli. Navimbus, ſive Bonaventura Catranius effingit Uranium, ſive Vincentium Leonium Siſimber, ſive Carolus de Sanctis, Polybum, ſive Vincentium de Filicaja, Nevillus, ſive Mutius Scevola, Eurindum, ſive Franciſcum Mariam Gaſparrium, Carminius, ſive P. Eduardus a S. Franciſco Xav. Carmelit. Excalc., Amaranthum, ſive Hieronymum Giglium.

Qua magnum tanta pingens Locresius (1) Acim
Arte refert, vultumque, oculosque coloribus, atque
Officia, & vitæ seriem, doctosque labores
Exprimit; ast animum, atque omnes vincentia fucos
Virtutum merita, & conclusas pectore dotes
Versibus adscriptis pandit, quos ipse sororum
Aonidum chorus, ac præsens miratur Apollo.
Aspicis? ingrati deserta volumina juris
Hic fugit: incassum fugientem, ac torva tuentem
Irato revocat vultu Themis. Ætheris arcem
Hic subit, & Cœli motus, ac sydera discit.
Hic eadem adstringit numeris, ac nunciat omnes
Astrorum adspectus varios, & tempora signat
Divinus Cœli vates: soror utraque fessum
Hinc, atque hinc sexu major levat: ætheris ignes
Hac parte, hac varios Solis, Lunæque labores
Oblongo per vitra tubo speculatur, at illa
Ante pedes Rhenusque tumens, & turbidus Idex,
Heu modo Felsineos tam dirus uterque per agros!
Imperio parent humiles: procul illius altas
Hinc Thamesis celebrat laudes, hinc Sequana plaudit.



(1) Hic jam Locresii, sive Flaminii Scarsellii celeberrimi, et doctissimi viri Ode exponitur per summa capita, qua Acim sive Eustachium Manfredium proponit. Cæterorum argumenta tantummodo noveramus, hujus et carmen cultissimum nobis fuerat exhibitum; cujus ordinem retinuimus præcipuis breviter hic expressis. Porro ipse, ubi telæ ideam effinxit, animi dotes coloribus nequaquam obnoxias versibus persequitur.

Eum autem proponit primo juris studia aversatum irata Themide, tum subeuntem Cœlum ad addiscendam Astronomiam computantem cœlestes ephemerides sororibus adjuvantibus, observantem sydera, et eclipses, curantem Bononienses aquas, ac inter eas Rhenum, et Idigem usque adeo nunc quidem Bononiensibus funestos, ac demum innuit Britanniæ, & Galliæ plausus tantum virum in suas Academias cooptantium.

*Lyc.* Quale opus, o superi! Viva omnia, Tytire, credas.
Qui tamen (1) ille, tuæ qui summo in vertice lauri
Eminet, ac viola præfulget amictus opaca,
Jam senior, sed cruda viro, viridisque senectus?
Ille etiam multa servat vaga sydera nocte.
En vitream aeriæ ramoso in vertice pinus
Affixit lentem, ac filo moderatur: acutos
Ante oculos pendet lens altera: grandius astrum
Respondet contra, sinuatum in cornua lumen
Strin-

(1) Hic jam ad nostras effigies fit gradus. Innuitur Illustrissimus Præsul Franciscus Blanchinus. Is apud Arcades dicitur *Selvaggio*, quem ne *Sylvagium* appellaremus, barbaries quædam ejusmodi vocis vetuit.

Porro is observationibus Astronomicis, ac Geographiæ, & Antiquitatis studio celeberrimus fuit. Venerem Campani vitro palmorum 140. observavit, & semiplenam, & falcatam sine tubo, ut in ejusmodi longitudine fieri solet, affixo procul objectivo vitro, quod ope fili dirigitur, ac oculari lente exiguo tubulo inclusa. Porro is maculas in Venere contemplatus censuit ejus *vertiginem admodum lentam* 25. diebus absolvi, quam Dominicus Cassinus censuit 24. horis breviorem. ccirco adjecimus *lentum dubiæ vertiginis orbem.* Vide de hac controversia Jacobus Cassinus in Elementis Astronomiæ.

Meridianæ lineæ ductum a Mari supero ad inferum per urbem Romam transeuntem definivit, crassos Geographorum errores corrigens. Eam inter ejus observantiones Manfredius edidit post ejus obitum.

Meridianam lineam ad observationes Astronomicas ineundas magnificentissimam construxit Romæ in Chartusianorum æde apud Termas Diocletiani.

Cæsarum palatinas ædes, ac auream Neronis domum partim è ruderibus, quæ supersunt, eruit, partim pro ingenio suo supplevit, ac edidit. Ibi autem cum per cuniculum ex summa altitudine in inferiores ædium partes incaute decidisset, confracto crure præsentis mortis periculum ægre evasit, quam haud ita multo post eo ipso casu labefactatus obiit.

Stringitur, & maculis vultus sordescit opacis.
Hinc & per montes altos, camposque patentes
Linea se longo tendit, perque oppida ductu:
Altera per sacram brevior traducitur ædem.
Inde ruinosos inter pendentia muros
Signa jacent dispersa solo, conscriptaque saxa.
*Tyt.* Hic vir, hic est, Lycida. Non illo doctior alter
Sydera scrutari, aut mensas describere terras,
Eruere aut altis veterum monumenta ruinis.
Arcades a Sylva nomen fecere vocantes.
Adductos terris falcatæ hìc Cypridis ignes,
Et maculas, dubium & lentæ vertiginis orbem
Exquirit. Qua se ardenti via flectat ab Austro
In Boream hìc campis, hìc sacra signat in æde.
Immissus Titana refert per tenve foramen
Ex alto radius, mutataque tempora monstrat.
Ast ibi collapsas, monumentum insigne Neronis,
Immemor ipse sui (heu nimium!) considerat ædes:
Ah! ruit, & fractos præceps alliditur artus.
*Lyc.* Hìc vero (1) nivea effulgens in veste Sacerdos
Quam varias radio signat nigrante figuras!
Illa refert ovum, hæc longum sinuatur in arcum
Crure super gemino, geminis abit altera ramis
Im-

(1) P. Guidonem Grandium hic proponimus summum Geometram. Innuimus ejus sectiones Conicas, Flores Geometricos, & varia calculorum genera. Sectionum conicarum prima, nimirum ellipsis, in orbem redit, ac planetæ, & cometæ omnes in ejusmodi orbe motus suos peragunt. Secunda, nimirum parabola, unicum habet ramum, quo in infinitum pretenditur binis cruribus in eandem plagam tendentibus: eam gravia corpora describunt oblique projecta. Tertia, sive hyperbola binos habet ramos oppositos, quorum singuli in infinitum protenduntur binis cruribus. Ejus plurimi sunt usus per omnem Mathesim longe, lateque dispersi.

Flores autem geometricos Grandius inscripsit elegantissimum opusculum, quo curvas geometricas definivit nonnullas exhibentes florum folia, & varios foliorum ordines.

Immenſum hinc, atque hinc fugiens, & crure quaterno
Averſas petit uſque plagas : at vertice in alto
Seſe aliæ longis ſinuant ambagibus , atque
In ſe iterum , atque iterum redeunt , flectuntque, plicantque ;
Et reddunt ſparſos per prata nitentia flores :
Mille notæ , ac tela numeri denſantur in ima .
Alter in hac . . . *Tyr.* Quo te , Lycida , tuus abripit ardor ?
Tempus abit. Tela mihi ſtat Dubenus in illa ,
Auſoniæ Dubenus honos , & gloria prima
Arcadiæ.Haud illi Thameſis, non Sequana certet
Grandibus ingeniis , non ingens Rhenus, & Iſter.
Hic teretem coni vario ſecat ordine formam
Obliquans flexu triplici : prima exhibet aſtris
Omnibus oblongos calles : iter altera præbet
Emiſſæ funda glandi , volucrique ſagittæ :
Tertia pron q antis eſt uſibus apta ! nitentes
Hic certo calami ductu deſcripſit odori
Veris opes : numeris hic mille arcana , notiſque
Naturæ educta e penetralibus eruit imis .
(1)Illa Hero,aſt illa inciſus mihi parte Epidaurus:
Urſacchi hinc vultus pendent, hinc ora Didalmi,
Illum ebore , hunc pario ſculptum de marmore finxi .
Nil tamen hæc perfecta moror : mea maxima cura Pa-

(1) Nonnullos alios hic innuimus Mathematicos , ac Philoſophos , Heronem ; ſive Vincentium Vivianum , Epidaurum, ſive Georgium Baglivium , non quidem Aletienſem , ſed ex Raguſino patre Raguſii natum , adeoque Raguſinum , ex Armeniorum familia , qui Aletium a P. Michaele Mondegajo Soc. Jeſu Poeta celeberrimo evocatus , a Baglivio ibi medicinam exercente educatus , & hæres ex aſſe inſtitutus familiæ nomen commutavit : Urſachium , ſive Xaverium Panſutum , Didalmum , ſive P. Abb. Didacum Revillas .

Paſtor Achemenides (1) tabula pingendus in ampla
Sollicitum tenet, o Lycida, mentemque, animumque
Ad ſeſe rapit, & calamos, dextramque repoſcit.
Ille olim ſanctæ correptum ad templa Matheſis
Me traxit, ſiſtens Divæ, atque arcana latentis
Pandere naturæ, & magni ſcrutarier ignes
Ætheris, ac noctes docuit vigilare ſerenas.
Centum igitur ſolidis pingam ſuffulta columnis
Templa Deæ in medio: ſculptis longa atria ſignis
Fulgebunt late: rutilanti hinc aurea Cœlum
Uraniæ & fixos, erranteſque ætheris ignes
Monſtrabit radio: hinc torvus tormenta Gradivus
Ærea, ferratoſque globos ſignabit acuta
Cuſpide, diffractaſque arces: lucentia fila
Parte alia ſeptem variata coloribus almæ
In radium jungent Charites, vitroque reſolvent
Mox iterum triquetro, at ſpeculis ardentibus ignem

Ali-

(1) Achemenides, ſive P. Horatius Burgundius Soc. Jeſu, Matheſim fere per 30. annos Romæ in Romano Collegio publicè docuit, frequenti auditorum concurſu, inter quos & me Mathematicis diſciplinis inſtruxit, quem & ſucceſſorem ſibi dedit renunciatus Collegii Romani Rector. Mentionem hic facimus hujus ipſius muneris Matheſim docendi, quo tandiu eſt functus, regiminis Collegii ipſius, & 4. Poematum de volatu, de natatu, de inceſſu, ac de motu ſanguinis, quæ inter Arcadum illuſtrium carmina proſtant.

Porro in ipſo Matheſeos templi atrio ponimus Uraniam ad innuendam Aſtronomiam, Martem ad innuendam Baliſticam, & Architecturam militarem, ubi in ipſa Baliſtica etiam Mechanica in globorum projectione includitur, tres Gratias texentes, ac retexentes radios ad Opticam, Najades, & aquarum derivationem ad Hydroſtaticam innuendam: Geometriam vero atque Arithmeticam, ſive etiam Algebram in pavimento deſcripſimus.

Aligeri educent pueri, atque incendia ſpargent:
Parte alia puram per campos Najades undam
Grandibus effundent rivis, ludentque natantes.
Aurea parietibus mille inſtrumenta, coruſcis
Pendebunt mille e trabibus, numerique, notæque
Mille ſolum niveo conſtratum marmore, mille
Diſtinguent recti tractus, orbeſque recurvi.
Ipſa Dea e medio prodibit fulgida templo
Ad limen: juvenum ſupplex denſiſſima turba
Stabit Achemenidem circum, ac deducet ad ædem
Ille avidos; numero ſed me ſecernet ab omni
Apprehenſum dextra, Divæque in limine ſiſtet.
  Parte alia Phæbuſque aderit, totuſque canenti
Aonidum chorus; ille oculos ad nubila tollet,
Atque aciem extentas volucrum defiget in alas.
Squammigerum interea placido pecus æquore ludet,
Quadrupedes curvo, bipedeſque in litore ſtabunt
Anımiles greſſum denſantibus: atque rubenti
Ad latus undantes effingam ſanguine venas,
Carminis argumentum ingens, quo Pindus, & omne
Arcadicum inſonuit nemus olim, & Pegaſis unda.
  Nec deerit ſacros cœtus Aſtræa regenti
Adſiſtens, nec Dius Amor, Pietaſque, Fideſque.
  Sed quid ego longum fruſtra moror? Heu brevis hora
Effugit. I, Lycida: conceptum mente laborem
Da facili complere manu, atque inducere fucos.
Inductis demum fucis, noctesque, dieſque
Tecum adero, alternoque horas ſermone trahemus.

L A U S D E O.